



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 2. Iacobus Fra[n]ciscanus ab insanabili morbo, & Dæmonum  
oppugnatione liberatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Pauli II. be-  
neficia.

Aedes Lau-  
ret. exépra.

Pauli II. te-  
stimon. al-  
terum.

*STRA EXPERTI SVMVS, ex diuersis mundi partibus confluere, & quæ sequuntur. Indulgentijs porrò singulares immunitates adiecit. Quippe Lauretanam Aedem vna cum ministris, cæterisque rebus ad eam pertinentibus ab Recinetensis Episcopi iurisdictione exemptam in suam, sedisque Apostolicæ, & Apostolorum Petri & Pauli tutelam recepit: Sacerdotibus Lauretanis absoluedi peregrinos à sceleribus ac flagitijs Episcopo, Sedique Apostolicæ referuatis satis amplam dedit facultatem. Posterioris quoque huius decreti procemium, in quo perhonorifica fit mentio Lauretanæ Domus, libet apponere, id est tale: Cum ad Ecclesiam B. Mariae de Laureto extra muros Recanatenfis ciuitatis fundatam, in qua sicut fide dignorum habet asertio, ipsius Virginis gloriosæ Domus, & Imago Angelico comitatu, & catu mira Dei clementia collocata existit, & ad quam propter crebra, ac stupenda miracula, quæ eiusdem gloriosæ Virginis meritis, & intercessione pro singulis ad eam recurrentibus, & eius auxilium implorantibus cum humilitate, Altissimus operatur, in dies, & in diuersis mundi partibus etiam remotissimis eiusdem Virginis gloriosæ liberati præsidijs populi consuât multitudo: & cætera quæ sequuntur.*

*Iacobus Franciscanus ab insanabili morbo, & Daemonum oppugnatione liberatur.*

*Cap. II.*

Chro. Franc.  
lib. 6. c. 3. &  
4.

**P**roduntur autem quædam huius temporis non omit-  
tenda miracula. Iacobus Picens vir sanctus è Fran-  
ciscana disciplina, pariter pietate, ac doctrina clarus Euā-  
gelii præco fuit anno eius seculi circiter LXX. Hunc in-  
sanabilis morbus inuaserat, & animum ægritudo corpo-  
ris vrgebat: quippe ea mali vis erat, vt omnem iuuandi  
sacris concionibus homines spem præcideret. Ergo hu-  
mani remedii inops ad Deum Deiparamque animum, ac

vota

vota vertit. Mox quamuis afflicta valetudine, Lauretum peregrinatorum ritu venit. Virginis cellam ingressus inter sacrificandum, cœli Reginam enixe obortis lacrymis orat, vt Iesu filio propitiato, impetret sibi corporis sanitatem; quæ sanctum eius Euangelium prædicando, multis fortasse populis saluti foret. Nec mora. oblata illi protinus est Deiparæ species iubentis eum alia ab se petere: Nam quod peteret, esse iam datum. & Iacobus illico salutem sibi redditâ sentit. Itaque gratiis B. Virgini actis, non tam suam, quam eorum, quorum saluti studebat vicem lætus, remeat domum. Nec vna hac in re B. Mariæ Lauretanæ is expertus est opem. Interiectis aliquot annis, ab importunis diabolis diu, multûque vexatus Lauretum certissimum malorum leuamentum, accurrit. Ante aram Virginis non sine animi angore, sacris operatus, expertum eius auxilium exposcit: finemque tandem orat tam molesto periculoque certamini. Auditæ preces. Impensius oranti B. Maria se rursus ostendit. Et bono animo esto fili, inquit, ac lummo rerum parenti grates agito. Adest pugnae finis, & te cœlestis corona victorem manet. Prædictionem comprobauit euentus. Haud ita multo post fractæ infestorum hostium vires: Læta repente secuta pax: ipse deinde cœlesti præmio donandus euocatus in cælum.

*A Xysto Quarto Pont. vetera decreta cumulantur  
nouis. Cap. III.*

**N**Ec Paulo Secundo Xystus Quartus Pauli successor studio ornandæ Lauretanæ Virginis cessit. Nam & veteribus Indulgentiis addidit nouas, & Pauli immunitates sua autoritate firmatas, adiecta immunitate decumarum, auctisque Lauretanis sacerdotibus facultate dispensandi vota, cumulauit. Donationem insuper Nico-

*Hier. Aug.  
Bern. Cyril.*